



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Munere Concionandi, Exhortandi, Catechizandi - Continens non tantùm praecepta ad artem concionandi discendam accomodata, sed etiam Ideas & Conceptus practicos pro Concionibus in Festis B. V. & SS. Dedicacionis, Patrociniij, Novi Anni, Paschatis, Parasceves; item in Primitiis Sacerdotum,

...

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

§. 3. Exemplar II. In quo ostenditur, quomodo certa quædam actio breviter Rusticis Commendari queat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48347](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48347)

loco tuo; facile est enim in oculis DEI subito honestare pauperem. Dicite ergo cum Jobo 29. c. *In nidulo meo moriar, & super palmam multiplicabo dies.* Dicite cum S. David 2. Reg. *Ludam, & vilior sum plus, quam factus sum, & ero humilis in oculis meis;* veniet veniet aliquando tempus, quo ea, quæ antè commemoravi, impleta videbitis: veniet tempus, quo illi, qui vos in hac vita adeò presserunt, & despexerunt, dicere cogentur: *Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperii: Nos insensati vitam illorum existimabamus insaniam, & finem illorum sine honore.* Ecce quomodo computati sunt inter Filios DEI, & inter Sanctos fors eorum est, quam vobis omnibus concedere dignetur Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Amen.

§. III.

Exemplar Secundum.

In quo ostenditur, quomodo certa quædam actio breviter Rusticis commendari queat.

Thema.

Ite, & vos in vineam meam. Matth. 10.

Scopus.

Amor laboris persuadendus.

Syllogismus principalis.

Tunc merito amandus est labor, quando is à Christo ipso electus, & per totam vitam susceptus est; & nos à gravibus malis defendit; & ingenia bona procurat; Atqui hæc omnia facit labor; Ergo merito amandus est.

E X O R D I U M.

Legitur apud S. Lucam c. 9. Quòd, cum Christus Samaritanos invisere vellet, & hi eum non recepissent, Discipuli ejus indignati dixerint: *Domine vis, dicimus, ut ignis descendat de celo, & consumat illos;* quos Christus quam primum arguit dicens: *Nescitis, cuius spiritus estis;* quasi diceret, non estis memores vocationis meæ & vestræ, alioqui talia dicta non proferretis. Quod hoc loco Christus Apostolis dixit, hoc

Instruit, VII.

S

idem

idem iudicio meo etiam non rarò Rusticis dici posset, quòd tantopere laboriosam suam vitam detestantur, & se hanc causam infelicissimos putant: *Nescitis, cuius spiritus sitis.* Nescitis, quòd *sicut avis ad volatum, ita homo ad laborem natus sit,* Jobo teste cap. 5. Nescitis vocationem Rusticam specialem esse, ut vitam in laboribus rectè susceptis contemnat, & per hoc æternam quietem sibi comparet. Quare deinceps saltem labores magis ametis, & vocationem vestram perfectiùs prosequamini, afferam in hac concione breviter causas propter quas laborem singulariter amare, & constanter exercere debeatis. Attendite diligenter, quia si attendenda bene perceperitis, & retinueritis, non modicum solatium referetis.

Pars Prima.

Tres præcipuè causas in venio, ob quas laborem singulariter amandum censeo. Prima & præcipua est *Exemplum Christi,* qui de seipso per Davidem Ps. 87. fatetur. *Pauper sum ego, & in laboribus à iuventute mea;* Quis autem vel ex solo capite laborem non summopere æstimandum & amandum dicat? Cùm enim Christus nobis in Duce[m] & Magistrum datus sit, an non meritò illam vitam & viam, quam ille verbo & exemplo docuit, felicissimam putabimus? Et verò etiam si talis non esset; an non solum exemplum illius meritò sufficere deberet ad labores impigrè assumendos? Quis enim servus, si Dominum videret alacriter se ad laborem accingere, non erubesceret, si Domino laborante ipse à labore eximi & quiescere vellet? Aptum hujus rei Exemplum in Hannibale ejusque militibus habemus; cùm enim hic dux fortissimus exercitum super montem aliquem nive & frigore oblitum ducere destinasset, videretque Milites graviter ab hoc itinere abhorrere, prior ipse montem aggressus est, & mox effecit, ut Milites quoque alacres sequerentur. Idem ergo & Christus erga nos homines fecit; vidit nimirum laborem asperum & durum esse, atque adeò à nobis difficile suscipiendum; itaque prior ipse illum suscepit, ut suo exemplo nos ad eum suscipiendum animaret. Quis ergo nunc se qui eum detrectabit? Quis laborem recusabit? & si ornatus laborem amare debent, quantè magis Rustici, qui speciali-

ter ab eo ad hoc vocati sunt, ut laboris sui illos socios haberet? Hoc ergo, O dilecti, hoc exemplum frequenter ob oculos ponite, & haud dubiè deinceps levissimos omnes labores reputabitis; Si enim juxta commune proverbium, solatium est miseris, socios habere, & jucundus comes est viæ vehiculum; An non summum solatium reputabitis, si advertitis, vos in laboribus DEUM ipsum, Redemptorem & Benefactorem maximum, qui & in hac, & in altera via vos beare potest, socium nactos esse, an non dicetis suo modo cum S. Bernardo: *Nolo esse sine vulnere (& labore) quando Dominum meum video vulneratum, & sub laboribus fatiscentem; verbo: non sentit sua vulnera miles, nec Rusticus laborem, qui Ducis vulnera (& laborem) intuetur.*

Pars Secunda.

Altera causa, ob quam amandum dico laborem, est, quòd à gravissimis curis corporis & animi defendat. Quod enim gravius malum corpori accidere potest, quàm si sanitas per varios morbos lædatur, & appetitus ad cibum & somnum, velut duo præcipua vitæ humanæ sustentacula tollatur? At qui ab omnibus his malis præcipuè labor defendit; unde enim provenit, quòd plerumque inter Rusticos tam pauci ægri reperiantur? unde fit, ut his præ aliis cibus, etsi vilis, optimè sapiat? unde fit, ut præ aliis suavissimè dormiant? profectò non alia horum omnium causa, quàm labor est, ut non immeritò quidam laborem propterea optimum Medicum & Cocum, & somni Conciliatorem dicant. Potro quod gravius malum animæ est, quàm peccatum? Quis autem ab hoc potentiùs defendit, quàm labor, ut qui ipsam radicem mali tollit? Duplicem enim omnium malorum radicem reperimus. Prima est otium, de quo jam pridem Eccl. c. 33. *Multam malitiam docuit otiositas.* Notùmque est illud Poëtæ. *Otia si tollas, perière Cupidinis (& omnis alterius peccati) arcus.* Certè, quia David, dum alij Reges ad bella procedebant, in domo otiosus sedit, in gravissima illa Adulterij & homicidij scelera incidit. Sed & inter potiores Sodomitorum peccatorum causas hoc otium numeratur Ezéch. 16. *Hæc fuit iniquitas Sodoma sororis tuæ, Superbia, Saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius & Filiarum eius.* De
S 2 otioso

otioso nimirum verificatur illud Salomonis Prov. 24. efflu-
 tum; *Per agrum pigris hominis transiit, & ecce totum reple-
 rant urtica, seu peccata.* Quod autem efficacius medium ad
 otium hoc proscribendum, quam labor reperiri potest? Ita
 sanè & experientia docet, & sapiens Eccl. 33. testatur, dum
 ait: *Cibaria, & virga, & onus asino, panis & disciplina, &
 opus seruo. Operatur in disciplina, & querit requiescere: La-
 xa manus illi, & querit libertatem (ad peccandum) Invenit
 & locum curvant collum durum, & servum inclinant opera-
 ziones assidua. In opera itaque constitue illum, hoc enim con-
 ducet eum.* Altera causa est tentatio Diaboli, qui tunc maxi-
 mè impugnat, quando hominem otio deditum videt. Hinc
 Christum aggressus est, quando putavit, eum in deserto otio
 vacasse. Hinc etiam rectè S. Hieronymus monet: *Facis
 semper aliquid operis, ut diabolus te semper occupatum inveniat.*
 Nam, ut antiqui Patres sentiebant, laboriosus ab uno, otio-
 sus ab innumeris dæmonibus oppugnat. Id quòd ipse Deus
 S. Antonium docuit. Cùm enim hic Sanctus ab otio & Dæ-
 mone graviter impugnaretur, remediùmque à DEO peteret,
 hic Angelum ei misit, qui modò oravit, modò legit, modò
 laboravit, comedit, dormivit, simulque dixit Antonio: Sic
 age, & liberaberis. Quis ergo laborem hac de causa non sin-
 gulariter amet? Quis enim adeò infans & ingratus est, qui
 si videret domum suam aut patriam ab hostibus gravissimè
 circumdatos, & manifesto in periculo vitæ & omnium bone-
 rum versaretur, à Rege autem quodam ex speciali gratia ipsi
 dux aliquis cum exercitu fortissimo in auxilium mitteretur,
 nollet hunc ducem in domum suam vel patriam intromitte-
 re? Cùm ergo à tot corporis animæque malis undique ob-
 deamur, & ab his, ut vidimus laboriosa vita ex speciali gra-
 tia à DEO nobis prædestinata, tam potenter nos liberet; an
 non æquissimum putamus, ut laborem pro summo beneficio
 agnoscamus, atque adeò illum non modò avidissimè ample-
 ctamur, sed etiam usque ad finem vitæ continuemus?

Pars Tertia.

Tertia, cæque non levissima causa ad labores alacriter
 suscipiendos impellens est *premi magnitudo*, non tam in hac
 (quamquam nec hic desint ingentia commoda) quam in al-
 tera

tera vita percipienda. Quam quidem breviter complexus esse videtur Servator noster: dum Matth. 13. dixit. *Regnum calorum simile est thesauro abscondito in agro*, cum enim illud comparavit thesauro in agro, & non potius in palatio, aut urbe abscondito; nimirum indicare videtur voluisse, quod per laboriosam vitam, quæ in agro potissimum exercetur, præcipuè beatitudo in regno calorum possidenda obtineatur; facit nempe, nobiscum DEUS, quod Rusticus quidam fecisse scribitur, qui in agone convocans Filios suos, quos plures habebat, dixit illis, in vinea sua thesaurum latere, eumque illius fore, qui primus ipsum invenisset, & eruisset. Cum ergo Filij post mortem Patris totam vineam magno labore circum fodissent, thesaurum quidem nullum reppererunt, sed quia vineam tali fossione valdè frugiferam effecerunt, magnam inde lucrum perceperunt, id quod pater thesauri nomine intellexerat. Idem ergò nobiscum facit DEUS, atque ut ad laborem diligendum, impigrèque suscipiendum animet, thesaurum non quemcunque, sed regni calorum latere ait. Et hinc videlicet est, quod meritò SS. Pates amore ad laborem pium & honestum inter præcipua prædestinationis signa numerare non vereantur; ajunt enim perinde in die judicij Christum nobiscum acturum, sicut olim Caro cum iis, qui cives Romani fieri volebant, egisse scribitur; sicut ergo is ante omnia manum sibi porrigi jubebat, & si quidem tenebram & nitidam viderat, talem ut ineptum pro cive Romano repellebat; si verò callosam, & labore attritam deprehenderat, tum enim verò talem utpote labori assuetum Civibus Romanis adscribere non dubitavit; Ita, & Christus in die judicij manus judicandos porrigi jubebit; & si quidem labore utili propter ipsum suscepto attritos repperit, earum Possessores cælo dignos judicabit; si autem ob otium, & laboris carentiam terfas, nitentisque invenerit, à civitate cælesti eos excludet. Id quod non uno exemplo ostendit; sic enim de Murario quodam apud Nicolaum Lanciz. opusc. 15. n. 10. legitur, quod post mortem apparens toto quidem corpore magnum splendorem habuisse conspectus fuerit, sed manus præcipuè ad mirando splendore fulserint, Eo quod hæ potissimum in labore peragendo, propter quem murarius iste cælum obtinuerat, fuerint occupatæ. Sicutiam de Menna

Monacho S. Climacus, conc 4. narrat, quòd post mortem ex ejus sepulchro, liquor mirè odoriferus effluerit, cùmque Abbas miraculi stupore attonitus aperiri sepulchrum juberet, deprehensum est, quòd ex pedibus promanasset, utpote quibus ad obedientiæ opera præcipuè fuerat usus. Præter hunc tamen memorabile est, quòd in vita S. Bernardi legitur ipsa SS. Mater DEI vasculum aliquod sudore plenum eisdem Monacho ostendisse, dixisseque, hunc esse sudorem, quem ex Fratrum in agro laborantium corporibus collegisset, quemque adeò nunc Filio suo oblatura, debitumque pro eo præmium expectatura esset. O si hæc omnia diligenter contemplerent Rustici, quàm prompti & alacres forent ad quovis labores exantlandos. Dicite, quæso, Auditores, si Res aliquis promulgari juberet, si deinceps pro quovis motu corporis propter ipsum suscepto dugatum daturum, an non gaudio diffunderetis ob hunc tam exoptatum nuntium? an ullum laborem vobis difficilem futurum putatis? Cùm ergò DEUS non Dugatum tantum, sed tale gaudium, quod in cor hominis non ascendit, pro quovis etiam minimo labore ad gloriam suam suscepto promiserit, an non memoria & spes hujus præmij omnem vobis, quantumcunque laborem, diligentem efficiet? Memorabile hunc in finem Exemplum vite Patrum offerunt, dum narrant, Eremitam fuisse, qui ad revertens nimis molestum esse laborem in aqua quotidie de fontem remota haurienda susceptum, statuit cellam suam propius ad fontem extruere, in qua cogitatione dum pergit ad dictum fontem, audit aliquem ponè sequentem, gressusque numerantem, quare se convertens, Angelumque videns interrogat; Eccur gressus istos numeraret? cui respondit Angelus, ideo se eos numerare, ut quemvis eorum DEO offerat, æternumque pro eo præmium petat. Quod ubi audivit Eremita, si sic res se habet, ait, non modò propiorem cellam meam fonti non faciam, sed remotiùs ab antiquo loco ædificabo, ut occasionem habeam plures pro DEO gressus faciendi.

Epilogus.

Agite ergò dilecti, & vel hodie iterum illam S. Pauli 1. Cor. 15. sententiam vobis in memoriam revocate: *Itaque*

Fr-

Fratres mei, stabiles estote, & immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes, quod labor vester non est inanis coram Domino. Cogitate illa DEI verba repeti ad vos Apoc. c. 2. scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & suo tempore compenso. Mementote olim in vobis impletum iri, quod S. David Ps. 125. dixit: Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos. Tunc dicetis cum gaudio illud Eccl. c. 57. videte oculis vestris, quia modicum laboravi, & invenit mihi multam requiem, quam nobis omnibus per merita & labores suos impetrare dignetur JESUS Christus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu S. vivit in Sæcula Sæculorum Amen.

§. IV.

Exemplar Tertium.

In quo ostenditur, quomodo una materia in plures Con-
ciones dividi & tractari possit.

Thema.

Præceptor tota nocte laborantes nihil cepimus; in verbo
autem tuo laxabo rete. Luc. 5.

Scopus.

Ostendendum, quid ante laborem observandum sit, ut fru-
ctuosè suscipiatur:

Syllogismus principalis.

*Omnis actio in nomine Domini inchoata felicem sortiatur
exitum; Atqui actio, qua in gratia DEI cum legitima inten-
tione, & invocatione divini auxilii suscipitur, inchoatur in no-
mine Domini. Ergo felicem sortiatur exitum.*

EXORDIUM.

Quod in hodierno Evangelio Apostolis evenisse legitur,
id vereor, ne multis, & utinam non plerisque Rusticis, aliis-
que hominibus, qui inter labores vitam suam consumunt,
eveniat, vereor, inquam, ne plerique in vitæ suæ fine cum do-
lore & rubore dicere cogantur: *Præceptor, totâ vitâ labo-
rantes, nihil cepimus.* Neque tamen causam multum & diu in-
daga-